

J. Ernst Göllieb  
de Tradenzi.  
in Ep. ad Ephes.

15. | C. IX.

1978

M

488

X2512632

Hf  
632.









AD  
EXERCITATIONEM  
ORATORIAM  
DE  
*VSV, QVEM MECHANICE IN  
VITA COMMVNI PRÆSTAT,  
IN PÆDAGOGIO BERGENSI*

Die XXX. Sept.  
INSTITVENDAM,

*LITERARVM ARTIVMQUE PA-  
TRONOS*

EA, QVA PAR EST, OBSERVANTIA INVITAT,  
SIMVL

PAVCA AD LOCVM QVENDAM S. IGNATII  
IN EP. AD EPHES. C. IX.

PRÆFATVR BREVI IN PATRIAM DISCESSVRVS

*IO. ERNESTVS GOTTLIEB de RADEZKI.*

MAGDEBVRGI,

LITERIS CHRISTIANI LEBERECHT FABRI, PRIV. TYP.

[i. e. 1750]



AD  
EXERCITATIONEM  
ORATORIAM

DE  
VIRI GOTTFRIDUS PRÆSTANTISSIMUS  
IN P. M. G. BERGENSEI




IN P. M. G. BERGENSEI  
TROMOS

Kapitel 78 M 488/157

IN P. M. G. BERGENSEI  
GOTTFRIDUS PRÆSTANTISSIMUS  
IN P. M. G. BERGENSEI







§. I.



Legati, quos ad vere pacandum orbem terrarum Seruator noster Jesus dimiserat, crucem, in qua distortus discruciatuque ipse exspirauit, hominumque genus foedissimæ seruitutis vinculis constrictum in libertatem asseruit, iis maclarunt laudibus, vt diuinum quid omniumque regum solis auro gemmisque corruscantibus augustius in ea se conspexisse quam luculentissime demonstrarint. Recesserunt beatissimi illi crucis præcones à communi hominum more, qui omni studio id agere vulgo solent, vt rei alicuius vilitatem atrocitatemque nomine molliori ac splendidiori vel obuelent vel leniant. Non ignorarunt, ipsum crucis vocabulum omnium animis turpissimum planeque seruilis supplicii ingerere imaginem, hominesque ad solam vocem quodam corripiti horrore: neque tamen prudentia, quæ forte nostris temporibus diceretur theologica, ducti ab illo crucis vocabulo crebrius vsurpando abstinuerunt, quin potius alta voce inelamarunt, omnibus pereundum esse, nisi ad illam crucem, tanquam ad templum summa religione colendum asylumque tutissimum confugerent. Eo vsque studio crucis maiestatem extollendi seruidissimo abrepti processerunt, vt omnia reliqua præter Christum cruci affixum, se nescire palamac ingenue profiterentur.



§. II.

Iisdem vestigiis inhæserunt Doctores, qui ab istis nominis Christiani conditoribus cætum Deo sacrum curandum suscepserunt, qui omnes & ingenii & eloquentiæ copias ad crucem Jesu Christi exquisitis condecorandam laudibus contulerunt, quorumque nonnulli satis fufis orationibus eam deprædicandam sibi sumserunt. Liceat mihi e tanta illorum multitudine duos tantum excitare testes, quorum alter apud Græcos floruit, alter vero inter Latinos & ingenii acumine, & linguæ facundia, & animi candore plerisque palmam eripuit; Chrysostomum inuuo & Augustinum. Ille enim non solum habuit orationem, quam inscripsit: *εις τὸν τίμιον καὶ ζωποῖον σαυρὸν &c.* (a) Sed vbiuis etiam locorum illam prodit reuerentiam, qua crucentam crucem Seruatoris exosculatus est sui. Inter alia sequentia verba dignissima censui, quæ hic legantur: (b) „σαυρὸς τὸ κεφάλαιον σωτηρίας τῆς ἡμετέρας· σαυρὸς ἢ τῶν μυρίων ἀγαθῶν ὑπόθεσις. Διὰ τοῦτον οἱ πρότερον ἠτιμωμένοι καὶ ἐκπηγῶται, νῦν εἰς τὴν τῶν ἰῶν τάξην ἐδέχθημεν. Διὰ τοῦτον οὐκέτι πλανώμεθα, ἀλλὰ τὴν ἀλήθειαν ἐπέγνωμεν. Διὰ τοῦτον οἱ ζύλα καὶ λίθες προσκυνοῦντες, νῦν ἐπέγνωμεν τὸν τῶν ἀπάντων δημιουργόν. Διὰ τοῦτον οἱ δέλοι τῆς ἀμαρτίας εἰς τὴν ἐλευθερίαν τῆς δικαιοσύνης ἀνήχθημεν. Διὰ τῆτον ἡ γῆ οὐρανοῦ λοιπὸν γέγονεν. Οὗτος ἡμᾶς τῆς πλάνης ἠλευθέρωσεν ἕτος πρὸς τὴν ἀλήθειαν ἐχειραγώγησεν, ἕτος καταλλαγῆς θεῷ πρὸς ἀνδράπης ἐποίησατο, οὗτος ἀπὸ τῆ βυθῆ τῆς κακίας ἡμᾶς ἀνασπάσας εἰς αὐτὴν τῆς ἀρετῆς τὴν κορυφὴν ἀνήγαγεν, οὗτος τῶν δαιμόνων τὴν πλάνην ἐσβεσεν, οὗτος τὴν ἀπάτην καθῆλε. Crux, caput illud salutis nostræ: „crux, infinita illa bonorum caussa. Propter hanc, qui prius „abiecti eramus & abdicati, nunc in filiorum ordinem sumus „recepti.

(a) Tom. VI. Oper. p. 241. Edit. Colon.

(b) Legitur aqud Suicer, in Thesaur. Eccles. voc. σαυρὸς p. 1004. Edit. Amsteld.



„recepti. Propter hanc non amplius erramus, sed veritatem  
 „cognouimus. Propter hanc, qui prius ligna & lapides ado-  
 „rabamus, nunc rerum omnium conditorem cognouimus.  
 „Propter hanc, qui serui eramus peccati, ad libertatem iusti-  
 „tiae adducti sumus. Propter hanc terra deinceps caelum est.  
 „Hæc nos ab errore liberauit, hæc ad veritatem deduxit, hæc  
 „Deum & homines reconciliauit, hæc nos e peccati voragine  
 „eductos, ad ipsum virtutis verticem deduxit, hæc damo-  
 „num errorem extinxit, hæc seductionem destruxit.” Eadem  
 plane ratione Augustinus non tantum totum, quem vocat ser-  
 monem laudibus crucis dicauit, qui etiam nostro tempore hæc  
 insignitus inscriptione: de cruce & latrone inter reliqua  
 eius effulget opera: verum etiam in omnibus satis vastis  
 voluminibus quauis oblata occasione in laudes crucis excur-  
 rit. Deligamus ex innumeris pene locis aliquem, qui dictis  
 fidem faciat. Ita vero differit in isto sermone, quem modo  
 laudaui. (c) „Ante, nomen crucis nomen erat condemnatio-  
 „nis, nunc facta est res honoris: prius in damnatione maledi-  
 „cti stabat, nunc in occasione salutis erecta est. Hæc enim  
 „cruce innumerabilium bonorum exitit causa. Hæc nos de  
 „erroribus liberauit, hæc nos sedentes in tenebris illuminauit,  
 „hæc nos a Diabolo expugnatore reconciliauit Deo, & ex alie-  
 „natis restituit in domesticos, de longinquis proximos fecit, de  
 „peregrinis reddidit ciues. Hæc est inimicitiarum interem-  
 „ptio, pacis firmamentum & omnium nobis bonorum thesau-  
 „rus &c.” Non negandum est, quo longius ab illo aureo rei  
 christianæ, quod Apostolicum dicitur, æuo recedunt tempo-  
 ra, eo magis laudes illas rhetorum ampullis verbisque sesqui-  
 pedalibus scatere ipsamque crucis religionem degenerare in  
 superstitionem; præsertim posteaquam crux illa non tam in  
 martyrum cruentis coronis, quam potius maximorum regum  
 A 3 & Im.

(c) Extat inter Sermones de tempore T. X. Oper. p. 631. Edit. Froben.



& Imperatorum diadematis conspiceretur, crucisque confessores non ad flammam, non ad leones raperentur, sed hac ipsa professione viam ad summum sibi sternerent honores.

## §. III.

Multos, credo, subibit admiratio, cur, quum ad oratoriam exercitationem de usu, quem mechanice in vita hominum communi præstat, instituendam inuitandi mihi sunt patroni, a cruce dicendi faciam initium, quæque a me dicta sunt, non inutilia, a re tamen aliena & in aliud magis idoneum tempus reseruanda putabunt. Hi vero, quum didicerint, quæ me ratio impulit, ut hanc potissimum deligerem materiam, definient mirari, & animum mecum component, ad crucem illam intentius contemplandam, ex qua omnis nostra pendet salus, & ad quam digne considerandam vix illa æternitas, quam nulla temporum metietur circumscriptio, sufficiet. Suppediatus mihi fuit, dum ad scribendum accingerer, locus quidam Ignatii, qui sua suauitate suisque illecebris adeo me cepit, ut statim ad illum explanandum mentem adpellerem, omniumque aliarum rerum cogitationem abiicerem. Extat ille in Epistola ad Ephesios data, (d) hisce conceptus verbis: „ἐγγων  
 „παροδείσαντάς τίνος ἐκείθεν ἔχοντας κακὴν διδαχὴν ἕς ἐν εἰσάτε σπεύ-  
 „ραγ εἰς ὑμᾶς, βύσαντες τὰ ὄντα, εἰς τὸ μὴ παραδέξασθαι σὰ σπειρόμενα  
 „ὑπ’ αὐτῶν, ὡς ὄντες λίθοι καὶ πατρὸς, ἠτοίμασμένοι εἰς οἰκοδομὴν θεῶ  
 „πατρὸς, ἀναφερόμενοι εἰς τὰ ὕψη ΔΙΑ ΤΗΣ ΜΗΧΑΝΗΣ ΙΗΣΟΥ ΧΡΙ-  
 „ΣΤΟΥ, Ο ΕΣΤΙ ΣΤΑΥΡΟΣ, ἠγωνίᾳ χρώμενοι τῷ πνεύματι τῷ ἁγίῳ ἢ  
 „δὲ πίστις ὑμῶν ἀναγωγὸς ὑμῶν, ἢ δὲ ἀγάπη εὐδὸς ἢ ἀναφέρεται εἰς θεόν.  
 „Noui nonnullos illic transiisse, qui habent peruersam doctri-  
 „nam. Quos non permisistis seminare inter vos; & obturastis  
 „aures, ne reciperetis, quæ ab ipsis sunt disseminata; ut qui  
 „lapides fitis templi Patris, præparati in Dei Patris ædificium;  
 „sublati

(d) Vol. II. Patr. Apost. p. 14. Edit. Corel.



„sublati in alta per *Machinam Iesu Christi, quæ est crux*, Spiritu  
 „Sancto pro fune vrentes. Fides autem subuectrix vestra, ca-  
 „ritas vero via deducens ad Deum.” Quæ verba quum per-  
 legissem, cœpi egomet mecum sic cogitare. De machinis  
 agent iuvenes nostri, qui in conspectum spectatissimorum pro-  
 dibunt auditorum; quid obstat, quo minus & ego de machina,  
 de machina, inquam, Iesu Christi, quæ est crux, differam? Machi-  
 narum vtilitatem deprædicabunt; quid machina illa Iesu Chri-  
 sti toti humano generi salutarius? Quid dignius, cuius vti-  
 litas omnium ore decantetur, omnium stilos exerceat, & vel  
 differatissimorum hominum facundia efferatur? Liceat igitur  
 mihi, effectus illius machinæ Iesu Christi saluberrimos, ipso  
 Ignatio me manu veluti ducente, non tam exponere, quam  
 mirari: qua in re tantum vereor, ne tenuitas ingenii mei (quod-  
 quam exiguum sit in me, imo pene nullum, omnium optime  
 noui) tantæ rei maiestati officiat.

## §. IV.

Locus, quem nunc illustrandum suscipio, allegoriam  
 continet, mea quidem sententia satis lepidam, quæ vero, an  
 omnium calculum sit latura, pene dubito. Scio, inter præ-  
 cipuos patrum defectus reponi, quod plus iusto allegoriis in-  
 dulserint, neque ego is sum, qui eos isto crimine eximere vel  
 possim, vel velim; excusandos tamen esse, nec omnes allego-  
 rias proscribendas æqui rerum arbitri facile largientur. Quis  
 enim tam obtusi hebetisque est ingenii, quin intelligat, quan-  
 tam allegoriæ iusta cautione prolata secum ferant vtilitatem.  
 Stulte ageret, qui rem aliquam definiturus, vel sententiam, de  
 cuius veritate ambigitur, demonstraturus, ad allegorias con-  
 fugeret: at vero tamen eadem & definitionibus rite conceptis,  
 & demonstrationibus robore suo suffultis lucem scenerant non  
 exiguam. Inprimis vero duplici sese commendant emolu-  
 mento. Primum res in sensus non cadentes, adeoque illis,  
 qui ultra sensus non sapiunt, difficulter percipiendas tantum  
 non



non sensibus subiiciunt, si modo leges similitudinis rite obseruata fuerint: deinde vero ad res futuras, quæ pro indole sua semper aliquid obscuri secum ferunt, adumbrandas quam aptissimæ sunt; efficiunt nimirum dum rem præsentem, sensibus obuiam eamque similem sistunt, vt imaginem rei futuræ cernentes rem ipsam pene cernere videamur. Hinc quum non omnes allegoriæ plane exterminandæ, vel vtilitate, quam adferunt, insigni defraudandæ sint: id nunc est dispiciendum, num idem de nostra dicendum sit, nec ne. Quantum ego quidem perspicio, nihil accommodatius excogitari potuit, quo incredibiles illi effectus, quos ista Jesu Christi crux produxit, elegantius concinniusque designari potuissent. Machina enim, si externam eius formam spectes, plerumque tam simplici & incomto habitu adparet, vt vix digna habeatur, in quam oculum coniicias: at vero latente eoque sapientissimo partium suarum nexu tam mirabiles vel vnico temporis momento efficit mutationes, vt interni artificii ignari vix habeant, quod dicant, ac fere aliquid incantationis subesse suspicentur. Stupebat Hiero, rex Syracusanorum, stupebant amici eius, quum Archimedes nauem onerariam, impositis multis vectoribus onereque solito, ipse procul sedens, non magno conatu, sed sensim caput artemonis manu mouens, rectam, nec vsquam hesitantem, ac quasi per mare currentem adtraheret, qui & iactauerat, si altera terra suppeteret, digressum in illam, hanc se de sede sua emoturum. (e) Mota certe de sede sua fuit terra, quum illud crucis præconium per omnes regiones personuisset. Gentes, tenebris plus quam Cimmeriis hactenus sepulta luce noua repente circumfundebantur, omniumque vitiorum mancipia ac pene monstra hominum, vt primum illam crucis doctrinam auribus admisissent, tam subito transformabantur, tamque mirifice omnibus virtutibus exornabantur, vt vel omnium Philosophorum gloriam, qui per omne vitæ tempus

(e) Sunt ipsa verba Plutarchi in vita M. Marcelli p. 148. ex vers. Herm. Cruserii.



multo sudore, crebrisque ac durissimis exercitationibus virtuti dederant operam, obfuscarent. Quæ omnia quam clarissime patebunt, effectibus admirandis, quos machinæ crucis tribuit Ignatius, singulatim perlustratis.

## §. V.

Primo loco mentionem facit Ignatius noster quorundam, qui prauam fouentes ac disseminantes doctrinam Ephesios accesserunt. Nimis longe ab instituto nostro diuerteret oratio, si fusc disquirere vellemus, quosnam innuat beatissimus Martyr; hoc certum est atque exploratum, fuisse eiusmodi homines, qui illam *ὑποτύπωσιν ὑγιαίνόντων λόγων* & ipsi dereliquerunt, & alios in partes suas pellicere tentarunt; id quod tamen apud Ephesios ipsis non successit, utpote qui aures obturarunt, ne reciperent ea, quæ ab ipsis disseminata fuerunt. Erant forte inter Ephesios viri, qui demonstrationibus Geometrarum rigorem æmulantibus, istorum errores redarguerunt, Ephesiosque ab illius veneni sensim sese blandeque in animos insinuantis contagione tutos præstiterunt? Minime gentium! At disertissimi viri diuina sua animosque hominum fere cogente eloquentia conatus illorum represserunt, Ephesiosque continuerunt, ne a veritatis deflecterent tramite. Ne huius quidem rei vola aut vestigiū apud Ignatium nostrum exstat! Quæ igitur vis homines magna ex parte indoctos aduersus omnes artes insultusque peruersas dispergentium doctrinas muniuit, horumque impetus retudit? Quæris? Per machinam Iesu Christi, quæ est Crux, in altum euecti erant Ephesii, ut extra teli iactum essent, istorumque homuncionum molimina longe infra se posita despicerent. Ita sane res se habet. Nullum præsentius remedium dari potest, quo quasuis opiniones falsas refellere, fucum, quo oblinuntur, abstergere, sapientissimamque illam Deo credendi simplicitatem illibatam conseruare queamus, quam si Iesum, eumque crucifixum, normam illam vnicam, ad quam omnia exigantur, ex oculis nunquam perdimus. Inde

B

enim



enim resultat regula, quæ vel a simplicissimo percipi & ad casus obuios transferri potest: quidquid fundamentum illud salutis a Christo in cruce partæ vel conuellit, vel diruit, vel saltem, quo minus mens in dies firmiter illi innitatur, impedit: ab eo assensio nostra est cohibenda, auresque obturandæ, ne tam profanas impiasque voces accipiant. Hæc est illa regula, quæ quamdiu in ecclesia immota stetit, vniceque obseruata fuit, firmiter ad tutandam doctrinæ puritatem extitit præsidium, quam successu temporis vlla conciliorum fuerunt decreta fulgura anathematum vibrantia summorumque imperatorum munita auctoritate. Hæc est illa regula, quam omnium rudes cum summis Theologis, etiamsi seraphici vel angelici vocentur, habent communem. Hi enim, pro veritate ruenda calamum stringentes, si officio suo rite fungantur, nihil agunt aliud, quam vt demonstrent, hanc vel illam sententiam fundamentum fidei vel tollere, vel infringere. Hæc est illa regula, quam qui sequitur, exacte ad amissim præceptorum logicorum procedit, licet nomen Logices ne fando quidem audierit. Assumit enim principium certum, indubium, quodque ipsa experientia verum esse comperit, cum quo propositionem illam erroneam confert, ostenditque falsam esse, quia cum eo nequit consistere. Neque vero magno apparatu, nec arte quadam exquisita hic opus est. Oculis luce circumfusus non anquit anxie rationem, qua vim externe irruentem arceat, æque ac fides verbi diuini lumine collustrata, firmiterque Iesu cruci adfixo adhærens sublimibus & operosis non indiget legibus, vt se præstet incolumem. (f)

## §. VI.

(f) Hinc Seruator noster, quum discipulos suos inter lupos rapaces dimitteret, hanc simplicitatem eis iniunxit Matth. X, 16. Vtinam inter nos quoque lætius floreret! Non florebit autem, nisi Iesus Christus cruci adfixus vnica nostra futurus sit sapientia. Causam, cur tam raro ista simplicitas conspiciatur, pulcre ostendit Abbas Guetius



## §. VI.

Nec mirabitur, tam fingularem machinæ illi Iesu Christi ab Ignatio tribui effectum, qui verba diui Pauli I. Cor. I, 24. cogitauerit. Hic enim toto terrarum orbe in audiente, frementibus bacchantibusque Iudæis, deorum vero cultoribus irridentibus, (g) non erubuit pronuntiare, Iesum Christum in  
B 2 cruce

Guertius T. I. p. 13. 14. tr. qui inscribitur Explication du mystere de la passion de Nôtre Seigneur Jesus Christ: C'est principalement une vaine & inquiète philosophie, qui inspire le dégoût de la foi, en faisant naître le desir, de chercher quelque chose de nouveau, de plus clair, de plus satisfaisant, & l'espérance de le trouver. Elle porte avec impatience le joug, qui lui est imposé. Elle veut voir, & sortir de cette espece d'enfance, ou l'on se contente de croire. Elle s'efforce de pénétrer les conseils de Dieu, de concilier des verités, qui paroissent opposées, de deuiler des mysteres, qu'on lui confie, sans lui en rendre raison. Jesus Christ crucifié l'importune & la met à la gêne. Elle se trouve plus en liberté, en ne consultant, que l'idée abstraite d'un premier etre, qui ne peut lui en découvrir les volontés libres & les décrets, & qui lui permet de se les figurer, comme il lui plaît. Et le fruit de sa temerité est, de perdre ce qui étoit trouvé, de rendre douteux ce qui étoit certain, d'ajouter aux salutaires obscurités des mysteres les tenebres de l'erreur & de rentrer, après la lumiere de l'Euangile, dans tous les vains Systèmes, qui ont partagé & séduit les philosophes payens.

(g) Ipse hoc declarat diuus Paulus loco citato. *Quam ridicula visâ fuerit Deorum cultoribus ista crucis sapientia, docet Korholtus in Pagano Obtrectatore L. I. Cap. XI. de stoliditate, stupiditate & ἀπιστία fidelibus objecta p. 159. sqq. Quantopere vero vel nostris temporibus Iudæi augusta illa cruce offendantur, ii norunt, qui cum hac gente aliquid habent negotii. Ingenua exstat confessio in vita Hermanni fratris, olim Iudæi, deinde vero monachi, quæ e MSpt. Bibliothecæ Paulinæ a Jo. Benedicto Carpouio in lucem protracta, & editioni Lips. Raym. Martini pugionis fidei annexa est. Legitur ille locus c. 3. sub. fin. p. 8.*



cruce suspensum *σολων* *ἦ* esse. Quæ verba quum ante a me dictis non exiguam adfundunt lucem, insigneque conciliant robur, operæ pretium fore videtur, si paucis a me illustrentur. Ego vero, effatum illud Paulinum pensitans, non dubito, audacter affirmare, ea omnia, quæ vnquam a sapientia vel sapientibus viris sperata vel expectata sunt, quæque iure sperari & expectari potuerunt, illam crucis doctrinam ex asse, quin imo ultra votum præstitisse. Patentissimus dicendi campus sese aperit, in quem laxis habenis excurrerem, nisi instituti mei ratio iam currere gestienti iniiceret frænum. Neque tamen facile est, impetum illum plane reprimere, sed saltim angustioribus circumscriptum cancellis cohibere allaborabo. Summæ laudi fuit Socrati, quod Philosophiam a difficilibus inutilibusque scholæ Ionica Sophistarumque nugis ad vitæ vsum transtulerit, ac philosophandi non in umbra, sed in foro auctor fuerit. (h) Rem sane magnam, atque generi humano saluberrimam molitus est vir ille sapiens, in quo vno, quantum ad emendandum animum valeret, natura demonstrauit. At si conatus illius cum eo contendas, quod, mysterio crucis in toto orbe diuulgato, accidit, hic solem, illic vero umbram cernere existimabis. Primum si ipsum Socratem cum legatis Seruatoris nostri contuleris, bone Deus, quanta sese oculis ingerit differentia. Ille enim salibus facetiisque suis, quibus vel Athenis floruit, nimium indulgens, nonnunquam Sannionis potius, quam Philosophi personam sustinere videtur; quod e memorabilibus Xenophontis & Plutarchi apophtegmatibus obscurum esse potest nemini: (i) hi vero, siue in concione de rebus

(h) Cic. Acad. Quæst. I. 5. Primus a rebus occultis & ab ipsa natura involutis, in quibus omnes ante eum Philosophi occupati fuerunt, auocauit philosophiam, & ad vitam communem adduxit: Vt de virtutibus & vitiis, omninoque de bonis rebus & malis quæreret.

(i) Zeno, Stoicorum antesignanus, non dubitauit, eum hoc insignire



rebus diuinis verba faciant, siue inter familiares sermones cædant, (k) siue ab incitata multitudine inter Deos referantur, siue lapidibus obruti vncis per plateas trahantur, eandem semper grauitatem spirant morumque sanctitatem. Deinde ille vultuum ingenuorum captator non quem libet in disciplinam suam admisit, sed saltim adolescentulos erectioris ingenii, & in quibus probæ indolis scintillas promicantes conspexit: hi vero, exemplo magistri sui, ἀμαρτωλός, turpissimos quosque præuaricantes aggressi, quantum crucis doctrina in hominibus ad frugem reducendis, Philosophiam antecelleret, demonstrarunt; cuius rei illustre exemplum est ille carceris custos, quod quotiescunque lego, noua perfundor voluptate. Tum quod ad præcipiendi adtinet rationem, non ineptam quidem fecutus est Socrates; quippe qui inductione plurimum vti rebusque non dubiis captare solitus est adfensionem eius, quicum instituerat orationem; quibus adfensionibus fecit, vt illi dubia quædam res propter similitudinem earum rerum, quibus adfensit, probaretur: (l) illa tamen methodus Socratica cum Apostolorum spiritus & potentia demonstratione collata, eodem loco habenda est, ac pueruli balburentis garrulitas, si cum diuina vel Demosthenis, vel Ciceronis eloquentia contendatur.

B 3

Nam

gnire nomine. Cic. de Nat. Deor. I. 34. Zeno non eos solum, qui tum erant, Apollodorum, Syllum, ceteros figebat maledictis: Sed Socratem ipsum, parentem philosophiæ, latino verbo vtens, Scurram Atticum fuisse dicebat.

(k) Hujus rei documentum esse potest Ep. ad Philemonem, quæ vbiuis ingenuam quidem familiaritatem, sed tam sancto viro tamen dignam prodit.

(l) Sunt ipsa Ciceronis verba de Inv. I. 31. qui sub fin. cap. addit: Hoc modo sermonis plurimum Socrates vsus est, propterea quod nihil ipse adferre ad persuadendum volebat, sed ex eo, quod sibi ille dederat, qui cum disputabat, aliquid conficere malebat, quod ille ex eo, quod jam concessisset, necessario adprobare deberet.



Nam isti variis demum captiunculis, quæ penitus in mente abscondita latebant, elicienda, hominesque interrogationum laqueis in sententiæ suæ ad sensum traducendi erant: hi autem diuini communesque humani generis doctores, neglectis istis artibus, in intimos statim animorum recessus penetrarunt, nec prætolati sunt illam arte expressam confessionem, interno eorum, quæ ab ipsis dicebantur, sensu omnis excusationis ac tergiversationis præcidente occasionem. Declararunt enim, omnes homines, siue omnium vitiorum vinculis constricti, siue splendida honestatis virtutisque persona laruati fuerint, sine vilo discrimine tot ac tantis immerfos esse malis, vt inde viribus, quibus natura pollet, nemo eorum eluctari posset: omnibus tamen paratam esse in cruce medicinam, qua si vti vellent, bene de salute recuperanda ipsis sperandum, quin imo confidendum esse. Quæ docendi ratio humanæ naturæ accomodatissima est, æque ac hominibus insitum est ingenitumque, vt cognito morbo ipsoque mali stimulante sensu medicum ac medicinam circumspiciant. Tandem si ad effectus & Socraticæ & Apostolicæ præceptionis animum aduertas, vix dici potest, quantum hic occurrat discrimen. Persuasit quidem Socrates discipulis suis arguta illa quæstionum ac responsionum serie, hoc vel illud ita esse: at vero humanam naturam a vitiis, quibus scatet, quæque & ipsa ratio perspicit, repurgare, ac in pristinam restituere integritatem, nec Socratis, nec vllius vnquam fuit hominis. Hinc idem eius Sectatoribus accidit, quod & nostro tempore philosophicam illam pietatem mirantibus crepantibusque accidere solet, vt meliora probarent, deteriora sequerentur. Cuius rei testis locupletissimus est ille Alcibiades, quem tantopere deperiit, optimisque præceptis imbutum in sinu fouit, qui vero in schola eius non magis profecit, quam vt æque magnus in virtutibus & vitiis haberetur. Vt Platonem, vt alios taceam, qui ex schola eius, sapientiæ quidem laude conspicui, at variis vitiis, minimum



mum prauo sui amore irretiti prodierunt. Parum enim demonstratio quæcunque, si vel Geometrarum neruis vehementius mentem constringeret, ad propulsanda vitia valet, quæ homini connata, ac cum ipso adulta omnia fræna adspernantur, donec diuina vi subacta fuerint. At longe alia exsurgit facies, si ad fructus respicias, qui e fecundissima illa crucis doctrina progerminarunt. Non tantum veritas, cuius hæcæus scintilla quædam exigua per tot sectas dispersa & variis commentis, veluti cinere obiecta apud solos philosophos delituerant, communis iuris est facta, vt eius possessio & ad infimam plebeculam pertineret; non tantum veritas hæcæe per tot temporum decursus abscondita innumera pene multitudinis animos tanta vi cepit, vt vel mulieres meticulosæ pro illa obfignanda inter medios ruerent gladios & ad rogos conuolarent: verum etiam, quæ Spiritus diuini fuit gratia, quem omnes, quotquot fuerunt, Philosophi ignorarunt, tanta subito extitit mutatio, vt immanes paulo ante belluæ, abiecta feritate, repente mansuescerent, ac veluti viua spirantiaque virtutum exemplaria omnium oculos in se conuerterent, adeo vt primi æui doctores, veritatem religionis christianæ demonstraturi, ad hanc mutationem, & in iis scriptis prouocarent, in quibus vel verbo errare capitale erat. (m) En alterum momentum, quod probandum suscepimus, nimirum sanctissimos crucis Iesu Christi

(m) Fecit hoc Iustinus martyr in Apol. pro Christ. ad Anton Pium, p. 61. Qui olim stupris lætabamur, nunc castitatem solum complectimur: qui magicis artibus utebamur, bono & æterno nos consecramus dicamusque Deo: qui pecuniarum & possessionum fructus ac proventus præ rebus omnibus adamabamus, nunc etiam ea, quæ habemus in commune conferimus & cum indigentibus quibusque communicamus: qui odiis & cædibus mutuis inter nos grassabamur, vt pro consuetudine recepta cum eis, qui tribules nostri non essent, communem focum non habemus, nunc a Christi apparitione familiariter simul viuimus & pro inimicis oramus &c.



Christi præcones longe maiora præstitisse, quam quæ a sapientissimo viro (n) vel expectata fuerint, vel expectari potuerint.

§. VII.

Restat nunc alterum, puta, Sapientiam, quæ illi Machinæ Iesu Christi accepta ferenda est, quamcunque aliam Sapientiam quam longissime superasse. Omnes vno ore consentiunt, vanam esse illorum hominum sapientiam, qui orbis cœlestes peruagantur, inter fulgida versantur astra, & in intimos naturæ recessus penetrare conantur, dum interea sui ignari degunt vitam, resque suas non curant. Hinc aureum illud *γνώθι σεαυτόν!* tanti fuit omni tempore æstimatum, vt decertatum fuerit, cui nam eius tribuenda esset inuentio. Status igitur hominis & qui nunc est, & qui imminet, princeps illud est momentum, in quo sapientia, si hoc nomine digna esse velit, versari debet. At bone Deus! quæ cæcitas, qui nefandi errores, quæ anilia deliramenta vbiuis occurrunt, si a sola crucis sapientia discesseris. Possẽm, quod adfirmo, philosophiæ Platoniciæ exemplo ostendere, quæ tamen tanta hac in re specie se commendat, vt multos christianos doctores in transuersum egerit. Sed instituti mei memor pauca saltim monebo. Ipsa experientia omnes docuit, eximiis hominem ornatum esse virtutibus atque donis; hinc non dubitarunt adfirmare, illum esse opus opificis Optimi maximi. Deinde vero tot ac tanta vitia, tot ac tantas infirmitates in se deprehenderunt, vt quo se verterent, non inuenirent; quæ est ratio, vt plerique causam mali in materia vel corpore ponerent. Eadem experientia duce compererunt, institutione ac emendatione multos tolli nauos; hinc ad illas exercitationes seu *δοκίμεις* confugerunt.

Quum

(n) Socratem eam ob causam potissimum delegi, quia omnes ferme Sapientum principem illum perhibent. Inprimis vero ii, qui a religione christiana alieni sunt, tantis eum extollunt laudibus, vt tantum non optimo Seruatori eum præferant. Qui comitis Schafesburii opera, ceteroquin ingeniosissima, euoluit, hæc de reminime dubitabit.



Quum vero nihilo minus ad ea, quæ mala esse perpexerant, interno impetu se ferri variasque in se cupiditates excitari sentirent, eo tandem prolapsi sunt, ut vel necessario peccari, vel cupiditates malas non esse adfirmarent. (o) Hæc de statu, in quo nunc est homo, sapientia, lumine destituta diuino, præcepit: neque saniora sunt, quæ de statu futuro tradita fuerunt. Hunc vero in modum inire rationem soliti sunt Philosophi, ut dicerent, vel plane in morte interire hominem, vel minus. Si prius esset, omnem euanescere sensum adeoque homini nec bene, nec male esse: sin posterior, non posse non cum viris probis honestisque bene agi. Sed age, dispiciamus, quid ista crucis philosophia de utroque statu in medium protulerit. Dum Iesum Christum, humani generis peccata expiantem ac in cruce suspensum ostendit, vno adspectu sistit ea omnia, quæ nulla philosophia vnquam exquirere potuit. Primum enim labis eius, cuius & indolem & originem nesciuerunt Philosophi, atrocitatem demonstrat, quæ tanta est, ut nulla emendatio speranda sit, nisi tollatur, & quæ non nisi istis cruciatibus *θεωθρον* illius expiari ac tolli potuerit. Deinde simul scopulos istos, ad quos allisi Philosophi naufragium fecerant, declinare docet: ostendit enim, cupiditates illas, quæ animum turbant, malas quidam esse, neque tamen necessarias, aut exitiales, nisi quis illis indulgeat. Iis enim, qui isti Iesu cruci adfixo sincera fide se totos tradunt, placatum esse Deum, nullum in iis inesse *κατασκευα*, tantasque in cruce partas esse vires, ut qui iis uti velit, omnia mala conculcare ac deuincere possit. Obstupefcit homo, qui hæc primum audit, ac incredibilia sibi narrari putat. Quid faciunt ii, qui hanc crucis sapientiam profiterentur? Non terunt tempus inutilibus demonstrationibus, (p) quod malum nostris temporibus reseruatam fuit, sed

C

(o) Conf. Tob. Pfanneri Systema Theologiæ gentilis purioris, imprimis totum cap. IX. de peccato.  
 (p) Non reiicio demonstrationes quascunque; his enim sublati omnibus



sed stimulant hærentem, atque exclamant: quid hæres, miser? Quid stas? Fac periculum! Disce ex isto cruento spectaculo, qui sis! Sed erige animum, & cognosce, qui sis euafurus, si istam inire velis viam, quæ tibi præmonstratur. Stulte ageres, si esses reiecturus, quæ non expertus es, & quæ maxime experientia percipiuntur! Hæ sunt illæ voces, quarum diuina virtute tot millia hominum ex isto miserrimo statu, in quo omnes natura sumus, erepti & in felicissimam rerum suarum conditionem translati sunt. Confidenter adfirmo, omnes, qui nullis præiudicatis opinionibus præpediti octo priora capita Epistolæ ad Romanos perlegerint, licet de sacrorum librorum diuinitate nondum conuicti sint, multo tamen saniora, magisque inter se apta ac coherentia de statu hominum & destituti-

omnis veritatis certitudo tolleretur; neque etiam illas condemno, quæ ad probandam religionis christianæ diuinitatem nectuntur, quibus vsum pædagogicum tribuendum esse noui. Dicam ingenue, quod sentio. Simplex, non fucata, a diuinis oraculis ne larum quidem vnguem recedens expositio veritatum christianæ religionis, adiecto isto præcepto, quod optimus Seruator Io. VII, 17. inculcat, sufficere mihi videretur, ad eos conuincendos, qui sincero veritatis studio trahuntur; reliqui vero nec vlla quidem demonstratione ad frugem reducuntur. Vbi enim maior copia librorum, qui pro veritate religionis christianæ pugnant, prodiit, quam in Anglia? Vbi vero Atheismus ac Deismus ferocius triumpharunt, quam in Anglia? Multæ adduci possent causæ, quarum tamen vnicam tantum proferam. Istæ demonstrationes magna ex parte nituntur argumentis historicis, quæ vero quum ex antiquissimis temporibus arcessenda sunt, destituimur documentis fide dignis. Pone igitur, vnicum momentum non satis firme demonstratum fuisse, hoc statim arripit animus veritatis non sincere studiosus, ac veluti vallo aduersus reliqua, quæ vere & pie dicta fuerunt, se rutatur. Hinc non possum non, quin verbis acutissimi Galli Euermontii subscribam, quæ extant T. III. Oper. sub tit. Pen-sées sur la religion p. 100. sqq. Si nous prenons garde aux anciennes conversions, qui se sont faites, nous trouverons, que les



tionis & restitutionis (vbi nonnulli loqui amant) deprehensuros, quam vlla philosophia vnquam tradere potuit; quod idem de statu futuro dici posse inter omnes constat, qui diuina volumina vel leuiter inspexerunt. Sed nolo huic rei diutius inharere, ne festinanti abituque, quem in patriam meditor, turbato quidquam calamo excidat, quod harum rerum grauitatem minus adæquet; præsertim dum cuilibet patere existimo, quam mirabilis sit ille primus effectus, quem ista Iesu Christi machina produxit.

§. VIII.

Ad alterum nunc propero effectum, qui non minus omnium admiratione dignus est, quam ille, de quo nunc verba feci. Paucis tamen rem expediendam esse video, ne in nimiam com-

C 2 . . . . . men-

les ames ont été touchées, & les entendemens peu convaincus. C'est dans le cœur, que se forme la première disposition à recevoir les vérités chrétiennes. Aux choses, qui sont purement de la nature, c'est à l'esprit de les concevoir, & sa connoissance précède l'attachement aux objets; aux surnaturelles, l'ame s'y prend, s'y affectionne, s'y attache, s'y unit, sans que nous les puissions comprendre. Dieu a mieux préparé nos cœurs à l'impression de sa grace, que nos entendemens à celle de sa lumière. Son immensité confond notre petite intelligence, sa bonté a plus de rapport à notre amour. Il y a, je ne sais, quoi au fond de notre ame, qui se meut secrètement pour un Dieu, que nous ne pouvons connoître; & de là vient, que pour travailler à la conversion des hommes il nous faut établir avec eux la douceur de quelque commerce où nous puissions leurs inspirer nos mouvemens; car dans une dispute de religion l'esprit s'efforce en vain, de faire voir ce qu'il ne voit pas; mais dans une habitude douce & pieuse il est aisé à l'ame, de faire sentir ce qu'elle sent. A bien considérer la religion chrétienne on diroit, que Dieu a voulu la dérober aux lumières de notre esprit, pour la tourner sur les mouvemens de notre cœur. Cautissime tamen hæc verba accipienda esse moneo; constat enim, quam alienus a religione christiana fuerit Euermontius.



mentatio nostra excreſcat molem; iſte enim primus me iuſto  
 diutius tenuit, ſuiſque illecebris ſape recedere conantem ident-  
 idem reuocauit. Dicit Ignatius noſter, Ephēſios in ædificium  
 Dei patris præparatos & in alta euectos fuiſſe per machinam  
 Ieſu Chriſti, quæ eſt crux, hiſque amœnis imaginibus res tam  
 magnas atque ſublimes tegit, vt ad eas digne efferendas nulla  
 vnquam ſuffectura ſit dicendi copia. Duo vero hic continen-  
 tur momenta, quæ nunc ex iſtis translationibus eruenda ac in  
 lucem exponenda ſunt, quorum prius fauorem illum expo-  
 nit, quo Deus ſe Ephēſiis præſentem exhibuit æque ac pater-  
 familias in domo ſua ac inter ſuos verſari ſolet: poſterius autem  
 eam mentis ſerenam tranquillitatem adumbrat, quæ ex iſto pul-  
 lulauit commercio, quod beneficio huius machinæ Ieſu Chriſti  
 cum Deo interceſſit Ephēſiis: loca enim alta æthereaque tam  
 profunda fruuntur pace ac quiete, quæ nullo tempeſtatum tur-  
 bine, nullo tonitruum fragore interpellari poſſit. Non igno-  
 rauit vel ratio ſibi ſola relicta, ad veram felicitatem conſtituen-  
 dam ſtabiliendamque homines Deo carere non poſſe. Senſu  
 interno teſte compererunt, qui non plane eorum, quæ intus  
 in pectore agebantur, neſciſi fuerunt, quam voraces eſſent ani-  
 mi cupiditates, & quam fluxa atque caduca ea omnia, quæ  
 hominibus bona dicerentur; quippe quibus nunquam infinita  
 iſta fames expleri poſſet. Hinc & inter deorum cultores ma-  
 gnifica vnionis cum Deo vox exaudita fuit, in qua eorum non-  
 nulli ſummum bonum repoſuerunt, & ad quam obtinendam  
 varia pararunt remedia, quorum alia a religione arceſſere, alia  
 mutuari a philoſophia ſoliti ſunt. Eo enim omnes illi ſacrifi-  
 ciorum, luſtrationum, initiationum ſpectarunt apparatus, vt  
 nimirum Deo propitio perfrui iſtis liceret. Neque hac in re  
 philoſophi operam ſuam requiri paſſi ſunt, ſed omnes ingenii  
 vires intenderunt, vt & iſti aliquid conferrent. Inprimis vero  
 Pythagoræi & Platonici ſtrenuam præſtiterunt operam, quo-  
 rum conatus hic loci exponerem, niſi & nimis longum foret,  
 & ab



& ab aliis fufe doctreque factum effet. (q) Sed quis tandem tantorum moliminum fructus fuit? Exiguus, quin potius plane nullus! Omnibus enim probe consideratis tota illa cum Deo vnio ad otiofam & ab improba mole corporis (in quo omnis ex eorum fententia refidet mali vis) abstractam contemplationem redit. Nec felicius in exquirenda ratione tranquillitatis animi adipiscendæ verfati funt. Superfedere poffum labore colligendi varia remedia, quæ excogitarunt, vt ifto bono potiri poffent, dum Seneca integro volumine ea completus & perfecutus eft, quorum agmen ipfa ebrietas claudit, (r) vnde colligi poteft, quid de reliquorum valore fenerit ipfe Seneca, dum fub finem ad tam turpe remedium confugit. Maxime vero duo eos impediuerunt, e quibus fe expedire non potuerunt. Primo plane eos fugit, quo modo animus ab iftis abducendus effet angoribus, qui non poffunt non male factorum memoriam comitari: tantam tamen vim mali confcientiam habere arbitrati funt, vt illius ftimulos tædas ardentes furiarum, quibus dies noctesque impii discruciantur, dicere non dubitarent. Deinde quoque innumeri fortunæ ictus, quibus Sapientes ac defipientes, probi ac improbi patent, mirifice eos torferunt, neque fatis commode explicare potuerunt, quemadmodum ifti falua animi tranquillitate ferendi effent. Non latuit eos, vel fapientiffimum virum rapido torrente infinitarum abripi mutationum, quæ momento temporis ingruunt, neque cogitatione præcipiuntur, vt animus ad illas excipendas componi poffit. Accedit, vt ne fontem quidem nouerint, vnde tot ac tanti cafus deriuandi effent; quo factum eft, vt alii fato, alii prouidentia diuinæ, alii fortunæ illos tribuerent. Qui

C 3

reli-

- (q) Conf. Ven. Moshemii commentatio de felicitate eorum, qui puro corde funt, & B. Buddei differt. de purgatione Pythagorico-Platonica in Anal. Hiftor. Phil. p. 364. de ἀρεταί Philof. ibid. p. 409.
- (r) De tranquill. animi c. XV. Aliquando vectatio iterque & murata regio vigorem dabunt, couictusque & liberatior potio: nonnumquam & vsque ad ebrietatem veniendum &c.



reliquis plus sapere sibi visi sunt, sic rationes suas subduxerunt, vt dicerent, nullum, præter honestum, bonum, nullum præter turpitudinem malum esse, adeoque casus istos, siue aliquid boni eripiant, siue aliquid mali inferant, non tanti faciendos, vt nos de gradu nostro dimoueri patiamur. At sensus malorum ea dicentibus occlamauit! Hæc fuit causa, vt illam *animæ Dei*, seu indolentiam in subsidium vocarent, ac veluti triumphabundi illud: Sapientem casus non ferit! ingeminarent, licet sapientem suum leui fati casu prostratum humique iacentem cernerent.

## §. IX.

Sed quam longe alia eorum est ratio, qui in ædificium Dei patris præparati & in altum euecti sunt per machinam Iesu Christi, quæ est crux! Non sacrificiis, lustrationibus, initiationibus indigent, nec prærupta illa purgationis via ad vnionem cum Deo ipsis grassandum est, sed omnia in expedito sunt. Ingenue referam, quæ hac de re pandunt sacra oracula. Primum docent, omnia impedimenta remota, quæ illam vnionem remorari possent, immensumque interuallum, quo a Deo disiunctus fuit homo, infinito Iesu Christi valore expletum esse; ipsum nempe Deum humana carne vestitum vnico sacrificio in cruce oblato omnes expiassè homines, vt indissolubili vinculo cum ipso iungi & possent & deberent. Deinde ea commendant remedia, quibus homo beatissimum illum finem non potest non adtingere, modo ea adhibere non recuset. Non ipsi homini cum imbecillitate intellectus toties hallucinantis consistendum est; longe certius efficaciusque Spiritus diuini lumen offertur: non cum rebelli cupiditatum ferocia colluctandum; adest vis superior, eaque diuina ac blanda, quæ illarum impetus compeecat totamque illam facultatem, quæ nobis voluntas dicitur, componat. Ac ne vllis homo obnoxius sit delusionibus, accedit reuelatio diuina litteris consignata, quam veluti instrumentum tractat sanctissimus ille spiritus & in qua omnia, quæ scitu sunt necessaria, tanquam in tabula exhibentur. Denique demonstrant viam, qua incedendum est, si ad illam vnionem peruenire velimus viam, inquam,



quam, tutissimam breuissimamque, quæ nemini ignota esse potest, qui vel primis elementis doctrinæ christianæ est imburus. Idem quoque sentendum est de iis, quæ nostra crucis sapientia de animi tranquillitate præcipit. Nihil hic inuenias, quod hominis conditionem transcendat; quin potius omnia ad infirmitatem naturæ humanæ subleuandam collineant, prout eius indoles requirit. Nulla hic opus est coactione: sua enim sponte hæc mentis tranquillitas ex ista fluit pace, quam inter præcipua, quæ in cruce peperit Seruator, bona referunt libri sacri. Tanta sapientia hic omnia dispensata deprehendo, vt nihil exfurgere possit, quod illam perturbet tranquillitatem. Doloribus, quibus mali alicuius commissi imago excruciat animum, parata est medicina, non leniens tantum, verum etiam ipsam dolorum causam tollens. Quænam? Adspice crucem & non ignorabis medicinam! Porro mala duo, e quibus larga ærumnarum seges enasci solet, spem puta & metum, radicitus excisa sunt atque euulsa. Et speranda enim & timenda quam certissime sunt definita: quo cautum est, ne ex vna parte mens per immensos, quos vaga spes sibi fingit, campos volitans defatigetur, ex altera vero vanis terroribus angatur. Illa, non possunt non euenire; hinc animus in iis tanquam iam præsentibus suauissime acquiescit: hæc ita sunt comparata, vt, si vires, quas Deus largitur, adhibeas, declinari possint. Huc tandem accedit illa singularis diuinæ prouidentia descriptio, quam sacrae tabulae nobis exhibent, quamque animo alte infixam qui tenet, de conseruanda tranquillitate securus esse potest. Sed rumpo orationis filum; voluminem enim iustæ magnitudinis mihi conscribendum esset, si omnia persequi, & quemadmodum ex ista cruce deriuanda sint, demonstrare vellem.

## §. X.

Tertius me nunc ad se vocat effectus. Dum Ignatius Ephesios lapides templi patris esse & in ædificium Dei Patris præparatos dicit, respicit ad verba epistolæ Diui Pauli iridem ad Ephesios missæ c. II, 14-22. quibus pacem inter homines cruce Iesu Christi conciliatam amoremque mutuam restitutum esse declarat. Id quod exemplo Iudæorum omniumque reliquarum gentium illustrat, neque vllum aptius ad mirificum hunc effectum repræsentandum excogitare potuisset. Tanta enim fuit inter Iudæos ceterosque omnes orbis terrarum incolas animorum dissensio, vt illi nec plane sine causa hosce auersarentur, hi vero illis odium in genus humanum tribuerent. Vtinam mihi liceret, ea, quæ animo obseruantur, proferre: sed verat & temporis & instituti ratio. Manum igitur de tabula! Neque tamen mihi temperare possum, quin votum addam, vt hic effectus machinæ Iesu Christi, qui in iungendis



gendis firmissimeque copulandis animis sese exserit, inter nos, qui a Christo nomen trahimus, tot tamen dissidiis in varias partes scindimur, ipsa re conspicitur: tunc enim quam clarissime patebit, quanta vis in ista machina Iesu Christi, quae est crux, resideat.

§. XI.

Quod reliquum est, a Vobis, Patroni eo, quo par est, honoris cultu suspiciendi, etiam atque etiam peto, ut velitis huic nostrae exercitationi interesse, & uti hactenus consuevistis, beneuolas recitationibus nostris praebere aures. Sequenti vero ordine orationes & nonnulla colloquia sese excipient:

CAROLVS CHRISTOPHORVS BVRGHOFF, Aquisgr. Magdeb. oratione germ. huius exercitationis finem declarabit.

VLRICVS BOGISLAVS AVERDICK, Sundenfis, de vsu Mechanices in Architectura carmine elegiaco disseret.

OTTO GVILIELMVS DE PERBANDT, Equ. Bor. & IO. FRID: SCHATOW, Magd. de variis machinis architectonicis, in primis de Fistula L. germ. colloquentur.

GEBHARDVS FRID. HIERONYMI, Halberstad. carmine germ. prosequetur merita Mechanices in Agriculturam.

IO. AVGVSTVS FIEDLER, BENIAM. FRID. BENEDICTVS BLVEMLER, & IO. OTTO HOERSTEL, omnes Magdeb. varia instrumenta aconomica, praecipue ararum artificiale ex principiis mechanicis lingua Germ. demonstrabunt.

BERNHARDVS IAC. DE ARNIM, Equ. March. oratione latina exponet, quantum valeat Mechanice ad rem metallicam iuuandam.

IO. HENRICVS BODE, & AVGVSTVS CHRISTOPH. BODE, vterque Wernigerod. vsum mechanicum in machinis ad rem metallicam pertinentibus conspicuum commonstrabunt L. germ.

RVDOLPHVS CHRIST. FRIDERICI, Magd. quid mercatura artificibus mechanicis debeat, carm. germ. exponet.

HENRICVS ALBERTVS WEBER, CHRISTOPH. IMMANVEL PAPPE, IVSTVS FRID. ERDMANNVS FABRICIVS, Magdeb. burgici, de incremento rei nauticae ex eodem fonte deriuando sermones miscébunt.

Ex horum numero, G. F. HIERONYMI, V. B. AVERDICK, B. I. DE ARNIM, & R. CHR. FRIDERICI, vltimum nostrae saeculae dicturi sunt vale, quos

FRID. CAROLVS MOSER, Wurtemb. vobis prosequetur, deque Auditoribus aget gratias orat. lat.

76/632, Kapsel 78M 488(15)





Chri  
ipfa  
ma  
o  
oris  
erci  
no  
col  
deb  
ant  
ID:  
pri  
m  
VS  
eb  
ex  
ex  
E  
ne  
ti  
EE  
g  
de  
B









AD  
 EXERCITATIONEM  
 ORATORIAM  
 DE  
*VSV, QVEM MECHANICE IN  
 VITA COMMVNI PRÆSTAT,  
 IN PÆDAGOGIO BERGENSI*

Die XXX. Sept.  
 INSTITVENDAM,

*LITERARVM ARTIVMQUE PA-  
 TRONOS*

EA, QVA PAR EST, OBSERVANTIA INVITAT,  
 SIMVL,

PAVCA AD LOCVM QVENDAM S. IGNATII  
 IN EP. AD EPHES. C. IX.

PRÆFATVR BREVI IN PATRIAM DISCESSVRVS

*IO. ERNESTVS GOTTLIEB de RADEZKI.*

MAGDEBVRGI,

LITERIS CHRISTIANI LEBERECHT FABRI, PRIV. TYP.

[i. 1750]

